



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

VI. De Taciturnitate. Ne laxes plenas ori malecautus habenas: Os, quod  
ubique patet, sorde frequente scatet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

h) Proinde talis non peccat contra *Votum obedientiæ*, cum juxta Theologos *lex humana impleatur per actum ex se bonum, etsi non bene factum*: deficit tamen ab ejus perfectione; quod solum volunt *Ss. Patres*, negantes talem esse obedientiam. Unde *S. P.* rectè subdit, quòd talis incurrat pœnam, non inobedientium, sed murmurantium.

i) Tum apud Superiorem, si murmuraverit ore; tum verò apud Deum, si ore aut corde. Plura de obedientiâ per decursum.

24. JAN. 25. MAJI. 24. SEPTEMB.

## CAPUT VI.

### De Taciturnitate a.

**F**aciamus, quod ait Propheta *b*: Dixi, custodiam vias meas *c*, ut non delinquam in linguâ meâ: posui ori meo custodiam, obmutui, & humiliatus sum, & filii à bonis *d*. Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem *e* debet taceri, quantò magis

gis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari. Ergo, quamvis f bonis & sanctis ad ædificationem el quiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem g rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est h: multiloquio i non effugies peccatum. l alibi l: Mors & vita in manibus lingua m. Nam loqui & docere Magistrus cõdecet, tacere & audire discipulo cõvenit n. Ideo si qua requirenda o sunt à Priore p, cum omni humilitate & subiectione reverentiæ requirantur, nè videatur q, plus loqui, quàm expediat. Scurrilitates r verò, vel verba otiosa & risum t moventia æternâ clausurâ in omnibus locis damnamus u, & ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.

- a) Medio inter obedientiam & humilitatem loco S. P. agit de silentio, eò quòd illud in utrâque partem habeat.
- b) David, Psalm. 38.
- c) Id est, vivendi seu agendi rationes, vel ut explicat S. Hieron. quinque sensus exteriores.
- d) Hinc

- d) Huic versiculo rectè seu practicè addiscendo multum temporis impendit Pambus Abbas.
- e) Id est, ex virtute taciturnitatis.
- f) Seu etiam, vel quantumvis.
- g) Hæc enim est custos justitiæ & religionis, hic nervus disciplinæ. Siquis, ait S. Jacobus c. i. putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio.
- h) Proverb. 10.
- i) Sive locutione superfluâ, ex S. Aug.
- l) Proverb. 18.
- m) Id est, in potestate loquentis aut malè, aut bene.
- n) Præstitère id propter scientiam profanam discipuli Pythagoræ; & quem non delectet idem præstare pro discendâ arte spirituali bene vivendi? Certè Abbas Agathon posito in ore lapide silentium coluit per annos 3, Theonas Abbas per 30, Joannes Silentiarius per 47, quin & Christus sapientia æterna ferè per annos 30. siluit, vix tres loquendo decurrit, altissimum etiam in passione suâ silentium servans. Inspice ô garrule Religiose, & fac secundùm exemplar.
- C 3
- o) Id

- o) *Id est, petenda vel interroganda.*
- p) *Id est, Abbate aut alio Superiore, vel etiam Seniore. Ex Boërio &c.*
- q) *Subintellige ex priori sensu, discipulus. Caterum sensus ille deest in aliis editionibus ac plerisque MSS. fortè ex margine in textum irrepfit.*
- r) *Id est, locutiones non servantes honestum ac decorum: Nam honesti lepores ac pueri hinc non prohibentur, cum & viri SSimis familiares fuerint, & Apostolus ad Coloss. 4. dicat: Sermo vester semper sale conditus.*
- s) *Id est, quæ sine utilitate & loquentis dicuntur & audientis, ex S Hieron. vel quæ aut ratione justæ necessitatis carent, vel intentione piæ utilitatis, ex Greg. M. vel denique, quæ nullam rationabilem causam habent, ex S. Bern. Proinde nè otiosa sint, referri debent vel explicitè, vel implicitè ad finem honestum, atque adeò in Deum.*
- t) *Intellige, ineptum vel nimium: Nam factuus in risu exaltat vocem; Sapiens autem vix tacitè ridebit. Eccli. 21. Terribilis sanè est sententia S. Bernardi: Nuga,*

gæ, nugæ sunt in ore sæcularium, in ore Sacerdotum [quidni & aliorum religiosorum?] blasphemix.

u) Id est, semper & ubique interdicta volumus.

---

25. JAN. 26. MAJI. 25. SEPTEMB.

CAPUT VII.

*De Humilitate a.*

**C**lamat nobis Divina Scriptura, Fratres, dicens b: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Cùm ergo hæc dicit; ostendit nobis omnem exaltationem c genus esse superbiæ d. Quod se cavere Propheeta indicat dicens e: Domine non est exaltatum cor meum f, neque elati g sunt oculi mei: Neque ambulavi in magnis h, neque in mirabilibus super me i. Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam l meam; Sicut ab lactatus m est super matre suâ, ita retribues in animam meam. Unde, Fratres, si  
C 4 sum-